CHRISTINAE A SABAUDIA

SICILIARUM REGINAE,

FUNEBRE ELOGIUM.

Advocati Francisci ex comitibus Genoino.

Homo quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra.

Job. cap. XIIII.

Qua madidos Aurora, gelidosque remittit hora rores, a bellicis displosis tormentis, sacrarumque lugubri nolarum tinnitu, cuncti e somno exporrecti sunt, expavefactique, cum quaererent auribus facti caussam, vox moesto permixta murmure auditur = *Christina Siciliarum Regina transivit*, *non est amplius* = Proh asperum acerbumque fatum! Quam brevi, laetitia in luctum, gemitumque conversa! Sed quoniam orta Ipsa erat, ob fatalem impositam legem et necessariam, immortalis quidem esse, et indissolubilis nullo modo poterat. Proh Regina! Quid? proh nos ipsi! Mors enim nil, praeter viriditatem Tibi abstulit, et ad praesens in Sede beata, et in conspectu Ejus qui omnium tenet principium, vivis, aeternumque vives; sed interitu Tuo, spes omnis, et ratio,

et cogitatio nostra occidit ; nuperque cum essemus florentes atque beati , nunc luctus , angores , atque omnes aerumnae nos premunt. Ipsa quoque natura, Coelum , ignis , terrae, maria, itemque omnia quae sub adspectum cadunt, neque tranquilla sunt et quieta, sed ipsa immoderate agitata , inordinata, et fluctuantia patimur ; transilireque lineas, et omnia quae complexu tenentur, partium comminantur dissolutione relaxare. Annales o Christina tui , signa quae Tui interitum nuntiavere , eaque pariter quae post mortem Tuam, animos omnium exterrere visa sunt , excedunt quae audivimus, et legimus, et quae a patribus nostris accepimus. Tu atavis edita Regibus, Tuque ipsamet Regina , undique edocta, virtutibusque praedita omnibus , quae ab hominibus possent ingenio , aut usu, aut diligentia consequi, inter omnes laudabiliores antiquitatis heroas longe praestabis: Tuaque gloria non aliquando ad interitum redigetur, vel hominum injuria, vel ipsa confectrice omnium vetustate. Tua pariter pietas pene divina , summam civium spem, atque expectationem , incredibili superavit virtute ; meritoque idcirco et placabilitas , et clementia, et modestia , nec non moderatio , magnanimitas , liberalitatesque laudantur Tuae ; quae omnia cum in amorem hominum incurrant , hos, tuo interitu , nec po-

tuisse non commoveri, neque moderate dolorem ferre, moerore funeris indicatum est. Tuus conjugalis amor, non in praesenti tantum, sed quamdiu nostrarum manebit memoria rerum, laudabitur: praestanti enim virtute, tacitaque cogitatione, omne studium, omnesque curae evigilaverunt Tuae, ad alliciendum, atque excitandum Regis animum, ad utilitates nostras; ideoque in maxima celebritate vives in memoria omnium, namque vera gloria radices agit, et propagatur, et multis saepta praesidiis, multis afficietur quotidie laudibus. Neque vero haec ab imperitissimo, levique praedicantur Vulgo, sed a severis, gravibus, constantibusque viris, praestanti sapientia et virtute dijudicantur; eo videlicet, quia in Te ipsa, caussa inerat cur diligereris; atque omnia per Te facta, praeclara, rara, et ex omni parte perfecta atque absoluta existimantur; et rebus in humanis, nil difficillius, quam hasce reperire virtutes. Nobis interea omni spe orbatis atque frustratis, nil aliud potest esse solatio, nisi pasci lacrymis, illisque grato animo, Tuos sacros madefacere cineres.

Herois, ornatissimi Auditores, quam ex oculis lugemus ereptam, a Regia Sabaudiae prosapia, suam ducit originem atque ortum: eademque dominatio Regia antiquitus extitit, et ad praesens maximo splendet

nitore, et laude, et imperio. Ex historiis colligere licet, Bertholdum ex Regia Saxoniae progenie, favisse Rodulphi III. Burgundiae Regis partibus, atque ob gesta belle facta, anno millesimo fuisse in primum Comitem Sabaudiae et Maurianae evectum: translataque Burgundia ad occidentis imperium, Humbertum Bertholdi filium, meruisse ab imperatore Conrado II, Status S. Mauricii, Valesiae, et Caballiacum agrum, ex quibus Sabaudiae provincia conficitur. Nostri non est in praesenti, antiquissimam Sabaudiae regum progeniem, in ordinem recensere; operae tamen precium est, in medium afferre illorum sapientiam, quae omni summopere fulsit aetate, omnibusq. excelluit virtutibus. Quid memorem Amedeum IV. pacificum inter Guelfos et Gebellinos? Quid Sextum, compositorem adhibitum in arduis, difficillimisque dissidiis, ab ipsis Pontifice, et Imperatore, a Rege Neap. Carolo Andegavensi, a Venetis, Liguribusque? Quid Jolandam matrem ac tutricem aeque Philiberti I., cum maxima laude incolumem a quaestionibus, quae in medium injuria afferebantur, per Carolum temerarium Burgundiae Ducem, per Ludovicum XI. Galliarum Regem, per Episcopum Genevae, itemque per Comites Rotundi Montis, atque Bressiae? Quid? Sapientiam omnium, qui a Saeculo XV. ad XVII. Domina-

tionem tenuere Sabaudiae? praesertim cum cuncta flagraret Italia, bello commisso a Regibus Ludovico XII. et Francisco I., contra imperatorem Carolum V? Quid strenuos illorum nisus, contra politicam Cardinalium de Richelio et Mazarinio? Quid inter hosce interjectum Amedeum VIII? qui mira praeditus virtute, instituto in anno 1430. equestri ordine S. Mauricii, atque Senatu in Camberio, Regium neglexit dominatum, ad quem plerique aviditate incensi rapiuntur, eodemque se abdicavit, atque ad Solitarios Ripaleae confugit? et cum ibidem caeteros virtute anteiret, omnique penitus careret dedecore, reliquisque iis vitiis, quibus alii non facile obsistunt, Concilium Basileae cum a Pontificatu Eugenium IV. amovisset, triregnum Ei obtulit, atque novo nitore, nomine Felicis V., ad Ecclesiae gubernacula sedere visus est? Quid nostra aetate Victorium Emmanuelem Augustae Christinae patrem? Flagrante enim Europae perturbatione, qualem non parvam sustinuit expectationem imitandae gloriae, magnam nominis, nullamque fortasse suarum commoditatum? quaenam aequabilitas, quae fortitudo animi Ejus, quae frontis, quae vultus, cum non ad fructum suum, sed ad Populi commoda quem dilexerat, Augustae Taurinorum regnum ad fratrem transferre festinabat? quaenam animi tran-

quillitas Ejus, in ratihabitione ipsiusmet cessionis apud Nicaeam? Haec tamen omnia, absque summa virtute evenire, neque effici numquam poterant ; atque hoc exemplo , magis innotuit sapientia Ejus, palamque ostendit , aliis merito se imperasse , cum suis ipsemet cupiditatibus imperare potuit, in quo potissimum sapientia inest.

In hoc fortunae ludibrio, Calari, ingenuas CHRISTINA didicebat artes , literasque latinas , historias , geographiam , peregrinaque idiomata ; atque potissimum in Sacris Scripturis , veritateque se exercebat Evangelica : atque tertio aetatis nondum exacto lustro, sapientia Ejus ubique pervulgata fuit , ita ut hereditario jure , quam labore , sollicitudineque magis , putaretur, tam brevi tempore, tantas sibi peperisse virtutes, tantaque fulsisse sapientia. Ideoque cum in nonnullas Italiae Civitates iter fecisset , praeclarum dignitatis et honoris locum habuit; quoniam et animo excelso, et alto, et laude digno , et virtutibus omnibus fulto , ineptiarumque domino omnium, cupiditatibus, quibus alii inserviunt, imperare visa est. Et revera, qua non sustinuit moderatione, adversae fortunae casus? Quave voluntatis conformatione, non interitum Augusti Genitoris ? nuperque Matris? quam ne derelinqueret, hymaenea quae summa promitte-

bant imperia, constanti animo rejicere non ambegit? Et cum omnes sapientia anteiret, magno fulsit etiam nitore in Christianarum exercitia virtutum, in quarum assiduo usu, exemplo fuit aliis; et precibus, meditationibusque quotidie adhibitis, Suam modestiam roboravit atque pietatem, quorum praesidio magis atque magis ardens, flagransque insurrexit misericordia, et charitas Ejus erga pauperes, et egenos, et inopes.

Divina favente clementia, eodem in aevo, et sub ipso Italiae Coelo ortus erat Ferdinandus II. Borbonius, qui cum eximia institueretur liberali educatione, moribus facillimis, summa pietate, bonitate atque justitia in omnes, magnam populi spem, quam de Eo jam puero habuerat, incredibili jugiter superavit virtute. Quonam plausu, quave laetitia, et hilaritate, et gaudio, cuncta circumsonare non est audita Civitas, cum Augustum hymaeneum pervulgatum, omnibusque notum atque manifestum fuit? Idipsum conjugium sempiterno inclusum tempore, brevi fuit absolutum, et Christina omnium perfectissima mulierum, juvene cum Rege, virtutum S. Ludovici Galliarum regis herede, jam jam sociata erat. Tunc temporis, fere inopinanter, mutuo quisque elaboravit amore, ut bene optimeque de Alio mereretur:

Ferdinandus mente sua perpendere properabat regnandi artem, quam permagna exercet laude et gloria: christianis incensa Regina virtutibus, caeteros suo aedificabat exemplo: Regis prudentia, fortisque animus experientia; CHRISTINAE modestia atque pietas, precibus roborabatur: justitiam aeque Deus Regi dabat ad populi gubernacula; misericordiam atque caritatem Reginae, ad pauperum dabat levamina: Ferdinandus in castris, inque suorum medio exercituum, enitebatur in comparanda gloriosa habitudine, servandae incolumitatis Regni, populique sui; CHRISTINA prope altaria, Deo vota suscipiebat, pro Augusti conservatione Sponsi; atque omnium oculi in Ea conjecti, Ipsam habebant pro Apocalypsis Angelo, pro Iride pacis, vultuque Solis, qui tenebras dissipat, disperdit atque dispellit.

Ut omnibus absoluta redderetur laetitia numeris, reliquum erat, ut ex Regio connubio daretur heres: et susceptis votis, quamvis fuissent diu cunctata, tandem Deus annuit. Quantae spes ex illa faecunditate initae non fuere? Quot non evanuere metus? Quantaque se felicitate frui, populus non ambegit? Et revera cum sub die XVI. januarii, ortus Realis Principis Francisci Assisium nuntiatus fuisset, talibus aures omnium circumsonuere vocibus jubilationis, ut eas,

si fieri posset, quidquam aliud audire fas non fuisset; eaque universalis laetitia, a liberalitatibus Regis, maximo populi plausu auctior facta est.

Misericordiae Deus! quam parva res est in hac vita voluptas! quantique ponderis ac diuturnitatis aeque sunt molestiae! quam maxime imperscrutabilia decreta sunt tua! In ipsa universali laetitia, Regina adversa corripitur valetudine, in diesque in pejus ruit; animique nedum omnium, sed ipsa visa est trepidare natura: turbinibus enim ventorum inhorrescit mare, tenebrae conduplicantur, nigrorque nimborum lucem eripuit, et quasi noctem quamdam rebus effudit. Et dum Christinae corpus cruciabatur a malis, quae magnitudo animi Ejus, quae Religionis; quae fidei? quae gravitas, quae constantia, quae virtus? quinam animus ipse, qui cum corpus cruciaretur, tot virtutum praesidio, cruciari non potuit? corde immo valde sedato, haec fatur — *maternus amor erga Augustam Prolem, qui jam decidit, auctior Ferdinande fiat in te: Tua benevolentia et charitas erga populum, fac, non extenuetur umquam: vive memor conjugii Nostri, et vale.*

Placabilitas, o Christina, et tranquillitas, et fides, et spiritus virtutis tuae palam ostendunt, quod mortis tormenta Te non tetigerint; quoniam animae

justorum in manu Dei sunt. Tu sapientiam pariter invocasti, et spiritus ejus venit super Te: illam Regno praeposuisti et Sedi, inque illius comparatione, divitias, honores, gloriam, ipsumque gradum pro nihilo duxisti, itemque super salutem, et speciem, et formam dilexisti illam; et quoniam lumen illius inextinguibile est, illam pro luce habere proposuisti; particeps idcirco facta es amicitiae Dei, et propter disciplinae donum commendata; *quoniam in animam malevolam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis; et sapientiae concupiscentia, deducet ad Regnum perpetuum* (1).

Ex Divi Augustini sententia, pietas virtutes complectitur omnes: ex ea enim castae, puraeque fluunt cogitationes, caeteraeque proficiscuntur christianae sollicitudines; Deusque praecipit, jubet atque mandat, potentes demisso esse erga pauperes animo. Divites tamen et optimates, ex condicionis superbia, formaeque comitate, animum ab egenis, pauperibusque avertunt, atque ad illud honestum aegre difficulterque descendunt ministerium, quod sibi ipsis dedecori ducunt; miseriarumque expertes, voluptatumque fere mancipia, pravam illorum fortunam, minime mi-

(1) *Sapient. cap. I. et VI.*

serentur. Voluptatum autem nulla alia potissima est, quam pietas; quae nedum placatum efficit Deum, verum etiam cum exercitatae in nobis memoria excitatur pietatis, ipsa denuo excitatur voluptas; reliquae enim voluptates blandissimae sunt illecebrae, quae saepe animum a virtute detorquent, et dolorum cum acerrimae admoventur faces, plerique maxime exterrentur. Hoc adamussim flagranti animo, et mente, et studio, et benevolentia, et opere, CHRISTINAE pietas, se jugiter habuit, intaminatis, purissimisque fulsit honoribus. Quinam enim enarrare, referreque valeat, quae de charitate, pietateque cognovimus Ejus? vel retegere quae maxima humilitate, occulta haberi Ipsa satagebat? Quem numerum puellarum, Ejus benevolentia, et providentia, et beneficentia non edocuit, atque aluit? quantasve non ambegit effundere largitiones, ad familias refocillandas? Quid de subsidiis dicam in aegrotos profusis? Quid de mansionibus paupertatis sociatae pudori? Quae sollicitudo, quae anxietas Ejus, in solatio illis praebendo? Quodve ultra quam necesse esset studium, in hasce occultando liberalitates? *Obstupescite opulentae*, ait Propheta, *et conturbamini:* (1) Vos enim vanitatis vitio, viris

(1) *Isaias cap. XXXII.*

necessitatem imponere cunctatis, quaerendi cum paupertatis jactura atque vexatione, quod cupiditati vestrae, et luxus sumptibus satisfacere valeat; et quamvis miseriae intuitu, vester videatur fremere animus, prava tamen calliditate, miroque artificio, nedum illi non properatis ullum afferre solatium, et levamen, sed etiam penitus ignorare dissimulatis. Quid vobis superbia prodest? aut quid jactantia divitiarum? Haec brevi transibunt velut umbra, vel tamquam navis, cujus non est vestigium, neque semitam in fluctibus invenire, vel tamquam avis, quae in aere transvolat, cujus nullum licet argumentum invenire itineris illius. (1) Christina sit vobis exemplo, quae ex celsitudine sui gradus, et dignitatis, et honoris, animo demisso, atque humili, haec pietatis exercitia numquam aegre tulit, sed ultra quam fas fuisset, omni evigilavit studio, ad leniendas miseriae faces: et quasi mater populi sui, in throno honoris sedens, doctrinam effudit, et disciplinam misit sicut lucem. (2) Quae nisi brevi erepta esset tempore, jam quinquaginta puellarum orphanotrophium, suis properabat instituere sumptibus; quod ne inane, irritumque red-

(1) *Sapient. cap. XI.*
(2) *Ecclesiastic. cap. XXIV.*

deretur, quantum conniti animo potuit, suprema voluntate, Augusto Regi Ferdinando commendare, cordi habuit.

Et ex illa pietate, flagrans insurrexit modestia Ejus: preoccupata enim cultu Dei, cunctis consequens erat, praestitisse virtutibus. Et revera quamvis omnis potestas, omnisque apud Regem esset auctoritas, fateri tamen oportet, morum disciplinam, pietatem, modestiam, caeterasque christianas virtutes, ex Reginae persona proficisci: quoniam circum Eam sistit, atque ordinarie se praebet omnis saeculi spiritus. Quid enim dicam de aviditate iniendae gratiae, videndi, vicissimque videri? Quid de perturbationibus, quae excitantur in animabus vanis, quae sunt saeculi idola, et quarum mundus ipse idolum est? Quid de luxu, et vanitate, et ambitione, et reliquis cupiditatibus parum puris? et ubinam haec non pervenient deliramenta, tum quando Potestas in officio ea non retinet? (1) Christina seipsam sanctificando, suam nedum sanctificavit Regiam, sed et Regnum. Ut aditus ad Eam patefieret, opus erat, in exercitia pietatis, cunctos Ejus fore se similes. Penes Eam, omnis quotidie viguit ordo, atque sapientia: pudor

(1) *Tela nequissimi ignea.* S. Paul. ed Ephesos.

pulchritudine formaque potior, virtus fortuna. Et revera quaenam Sua reverentia erga Jesum Christum, et Sanctos ejus? quaenam erga Ecclesiam, Sacerdotes atque ministros? qui persaepe ob qualitatem et divitias beneficiorum, quam dignitate magis et munere aestimantur? et quandoque parvi habentur, in spretum Sacerdotii Christi Jesus, ex quo transitus ad ipsius spretum ministerii? *Rationabile*, ait Apostolus gentium, *sit obsequium vestrum*; (1) multi enim fronte virtutem sequuntur, mente tamen mundi cupiditatibus inserviunt; neque ad Dei nutum, vel rationis normam, sed ad eorum arbitrium actiones dirigunt suas, plerumque etiam ab officio recedunt. Christinae tamen pietas nedum principiis, sed regulis etiam se roborare, et custodire properavit, et secundum mandata Dei, beneficia quoque locavit.

Misericordiae Deus! Salutis omnium Deus! in hoc sanctae perseverantiae statu, et in summo laetitiae fastigio, ob ortum Regiae Suae Prolis, haec praedestinata Regina, revocata est apud Te. (2) Ipsa tamen erat

---

(1) *S. Paul. ad Roman.*

(2) *Omnis qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic et Patrem et Filium habet.* S. Joann: III.

ardenti, flagrantique praeoccupata desiderio Tui: (1) nostri est tua adorare judicia, tuamque recognoscere misericordiam; Reginae tamen fiducia, nullo valet turbari metu, quoniam Suae innocentia vitae, morientium poenitentia, longe praestat.

Si vestrum aliquis, Auditores, excelsum optimúmque interrogare FERDINANDUM, de CHRISTINAE audeat interitu, nil poterit ipse, nisi lacrymas et singulatos Illius referre. Sed quo potius utar auctore, aut teste, quam vobis omnibus? nonne incidit in oculos vestros, inexplicabilis CHRISTINAE amor, continuo evigilans ad concitandam Regis fidem, et charitatem, et pietatem, et reverentiam erga Deum, et benevolentiam in populum, itemque perseverantiam, et in officio constantiam? Idcirco haberi merito potest pro muliere illa, quam omnium sapientissimus Regum, Spiritu Sancto Dei afflatus, suo effinxit animo, et mente voluit concipere sua; quam in rerum natura invenire desperans, clamavit = *Mulierem fortem quis inveniet? procul, et de ultimis finibus pretium ejus* (2). Virtutibus nihilominus CHRI-

(1) *Justus autem si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Sapient. IV.

(2) *Proverb.. cap. XXXI.*

STINA praestitit omnibus, quas sapientissimus Regum sua quaesivit aetate, et non invenit, omnique Eadem fulsit decore. Et revera, forma Ejus, tamquam honesti facies: venustas muliebris, dignitas virilis: fortitudo et decor, indumentum Ejus; os Sapientiae apertum, lingua clementiae lex: reddens bonum et non malum, omnibus Suae vitae diebus: manum Suam aperiens inopi, et palmas Suas extendens ad pauperes: cor viri sui in Ea confidens, et laudans Eam: domum ornans dignitate Sui; et de nocte surgens, ad vineam plantandam de fructu manuum Suarum: frons Ejus dulcis, vultusque ridens in die novissimo. (1) Sed heu! splendor omnis fortunae Ejus, non est amplius! Et haec in Ejus memoriam Religionis officia, et preces, et expiationes, et sacrificia, lugubres item voces et cantus, qui omnium animos moerore attingunt; haec sacra mysteria, illorumque tristis apparatus, haec doloris vestigia, quae in omnium figit ore charitas, Eam nos amisisse memorant; et sanguinem, carnemque Ejus, quae pulchritudine magni aestimabantur, reversam esse ad

---

(1) *Mors enim maxime terret illos, quorum cum vita omnia moriuntur, non illos, quorum laus emori non potest.* Cicer. paradox.

primordia rerum, et extinctam in sinu charitatis Dei, et nil aliud superesse nobis, nisi oculos pascere lacrymis, et Suas memorare virtutes.

Crudelis mors! heu nostrarum utilitatum invida mors! quid cito, atque integra adhuc aetate, Illam de medio tollere properasti? fregisti enim opus magnae spei, quod eximio perficiebatur et consilio, et diligentia; cujusque primordia, suam mire praenuntiabant magnitudinem atque magnificentiam. Quid Eam dulcedine privare, fructus purissimi conjugalis amoris? quid irritas reddere curas, sollicitudinesque de Illius educatione? Anima quae pulchredine splendes, quae ad praesens vivis, aeternumque in Deo vives, intelligere facile est, hoc tantum intuitu, Tibi jucundam fuisse vitam. Si qua tamen nostrarum memoria rerum, in invisas nos sequitur cupressos, ex alto Tibi fas est, nascentes Optimi Principis, cernere virtutes: Tui enim pars dimidia, illustris Rex Ferdinandus, omni studio, et diligentia, et cura, et desiderio, Tuum conatur inceptum absolvere opus: Illius Regius animus arcte adhaerescens Tuo, et in quo semper vives, in hujus Principis se solatur vultu, quoniam in eo, et imago Tua, et animus, et similitudo morum reperitur, virtutumque Tuarum.

Sed animo a fletu, et moerore parumper amoto,

meminisse juvat, CHRISTINAM de medio iniquitatum ereptam esse, quae christianas potissimum virtutes quotidie circumveniunt. (1) Et revera, etiamsi sollicitudines praetereantur, et impulsus, et instigationes, reliqua itemque vitia, quae virtutibus obsistunt; quid magis nos decipit, quam gloriae vanitas? quanam voluptate animos omnium, ipsa non attingit atque emollit? quave tacita cogitatione, animum de recto non deflectit? quantis ipsamet blanditiis non se allicit? hasce inter insidias, quid morte potior? nonne melius apud Deum invenisse gratiam, priusquam moderatio Ejus, a gloriae vanitate everteretur? quid interest quod brevi vixerit? omne enim quod finem habet, longaevum esse nequit. Animum interea ad Ejus diuturna Religionis exercitia, et pietatis, et cultus intendere si valeamus, illa omnia, longaeva vix poterant expleri vita.

Videmus interea nil puri terram habere; et licet CHRISTINA naeviarum pura, et integra vixerit vitae, potuit tamen quacumque immunis esse culpa, omnique penitus carere labe? *Si dixerimus*, ait Apostolus,

(1) *Consummatus in brevi tempore: placita enim erat Deo anima illius; propter hoc properavit educere illam de medio iniquitatum.* Sapient. cap. IV.

quoniam peccatum non habemus , ipsi nos seducimus , et veritas in nobis non est. (1) Et quamvis Deus Illam, a perturbationibus animi, quae thronum potissime circumdant, servaverit incolumem, quonam illas vitare potuit modo, quae naturae adhaerent? cupiditates praesertim illas, ex quibus, ad curas, laudes, assentationes, consiliaque parum pura, ad molles itemq. faciles indulgentias, transitio fit frequenter? quae dominationem persaepe in animas praestantiores exercent? caeterasque cupiditates, quae ab exemplo excitantur et moribus? quae nisi animam a recto avertunt, inter virtutem nihilominus, et mundi creaturas bipartiunt?

In te Domine Deus idcirco confidimus, in tuaq. misericordia, quam implorare Regina numquam cunctavit: Ipsa ardenti, flagrantique praeoccupata Tui amore, crucem, praesertim dum moreretur, faustum redemptionis nostrae symbolum, sinu, complexuque arcte recepit Suo; qua de re, pie, devoteque hasce solvimus inferias, ut Ei requiem, quietemq. donare digneris aeternam; Tuoque pretioso sanguine tincta, Ecclesiaeque Sacramentis refecta, coelesti valeat laetari beatitudine. Vobis interea Auditores, exemplo sit juvenis haec Regina; et cogitate diu, quod gloria

(1) *S. Joann: cap. I. et VIII.*

quam quaeritis, cito ad vestrum transibit nomen, hereditas ad ingratos, tituli ad sepulcrum, dignitates ad inimicos aeque transibunt vestros. Cogitate quod brevi, dies ille veniet, quo mors nos coget, omnes fateri errores : nonne idcirco melius, rationis ope, et auxilio, mundi spernere blanditias, quam per vim in mortis hora? quaenam hallucinatio vestra, si dum quotidie morimur, ea in extremum reservatis diem, quae mortis cogitatio et horror, omnibus vitae diebus concitare deberet? Estote idcirco solliciti, et vigilate, ne mundus blanditiis vos alliciat, et de recto deflectat; gloriaeque vestrae ducito, illas quam citissime negligere atque rejicere. *Videto,* ait Apostolus, *bonitatem et severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin et tu excideris* (1). Et vos Optimates, qui thronum circumdatis, tum quando illa eritis in Regia domo, quam et dignitate, et splendore, Christina ornabat suo, Illam amplius non esse, animi moerore memineritis. Cogitate idcirco, quod ejus gloria, quae quamdiu vixit, omnium admiratione magni aestimabatur, transivit ad nomen; et Ejus animae salus, ab integritate Suae vitae, et poenitentia tantum metietur.

(1) *S. Paul. ad Rom. cap. XI.*